



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

108. An incompatibilitas impediât carentiam secundæ gratiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

*Questio 108 An incompatibilitas impediat
carentiam secundæ gratiæ?*

Respondeo negativè: cum enim incompatibilitas, ut dictum jam immediate ante ex Lott. non opponatur afsecutioni secundæ, sed tantum retentioni præhabiti, non potest impedire provisionem secundæ, seu secundæ gratiæ; & hinc incompatibilitas non est exceptio apta ad retardandam executionem literarum secundæ provisionis. Card. de Luca. de benef. d. 55. n. 20. & d. 59. n. 2.

PARAGRAPHVS II.

De incompatilibus ratione
residentiæ, curæ, existentiæ sub
eodem texto, vel quia dignitates
aut Personatus sunt, & hinc
ortâ præhabitorum, aut de
novo obtentorum
vacatione.

*Questio 109. An, & qualiter incompatibilitas
constituatur ex onere residentiæ?*

1. Respondeo primò: duo beneficia simplicia (præcindendo etiam à sufficientia) etiam dum neutrum est Canonicatus, aut portio in cathedrali vel collegiata, sunt incompatibilia, seu simul teneri non possunt, dum ambo requirunt residentiam personalem incompatibilem. Garc. p. 11. c. 5. n. 261. citans Coraf. p. 1. c. 5. n. 2. Hojed. p. 1. c. 17. n. 30. Zerol. p. 1. v. beneficium. §. 7. & p. 2. v. incompatibilitas. §. 2. qui hoc ipsum rectè deducit ex verbis istis Trid. sess. 24. c. 17. dummodo utrumque personalem residentiam non requirat. Gonz. gl. 15. a. n. 16. Lott. l. 3. q. 23. n. 10. & 12. proceditque id ipsum, sive de jure, sive ex consuetudine, sive ex fundatione hæc residentia requiritur. Gonz. loc. cit. n. 19. nihil enim est, quò minus etiam in his omnino simplicibus ut-cunque aliàs ex generali consuetudine ab onere residentii liberis. Lott. loc. cit. n. 11. citans Cardin. in c. fin. de Cleric. non resid. n. 16. Imol. n. 8. Alex. de Navo. n. 10. Rebuff. in prax. tit. de dispers. super resid. n. 8. (ratione cujus generalis consuetudinis etiam in dubio omnia simplicia seclusis canonicatibus & portionibus consistentibus in Cathedralibus vel Collegiatis, quæ hodie dum ex decreto Trid. sess. 24. c. 12. requirunt residentiam. Gonz. gl. 15. n. 18. præsumuntur libera à personali residentia. Gonz. gl. 15. n. 26. citans Imol. in c. fin. de cleric. non resid. n. 9. Felin. in c. dilectus. 2. de rescrip. n. 1. Rebuff. ubi ante n. 8.) valeat hæc residentia præcisè juræ aliquo speciali induci. Lott. loc. cit. n. 12. qui etiam n. 14. ex incidente subiungit: per hoc, quòd quis residere juravit, dum beneficium talem residentiam non exigit, residentiam non induci, & talem ad residendum non teneri; eò quòd juramentum semper reguletur à naturâ actus, super quo interponitur.

2. Respondeo secundò: constituatur hæc incompatibilitas ex residentia continua præcisè, non autem ex causativa: Tond. in qq. benef. p. 3. c. 185. n. 7. Gonz. loc. cit. n. 20. citans pro hoc n. 22. Navar. cons. 4. n. 1. de clericis non resident. Anchar. cons. 17. n. 2. P. Leuren, Fort. Benef. Tom. III.

& 3. Imol. Butrio, & c. inc. fin. de Cleric. non resid. item Rotam in Callagur. beneficium, 15. Octob. 1577. in qua etiam Responsum ad Trid. sess. 7. c. 4. illud loqui de incompatilibus ratione tituli, non verò de incompatilibus respectu fructuum. Dicitur autem illa residentia præcisè, seu præcisè requisita, quæ est respectu tituli, & simpliciter obligatoria, seu sub amissione & privatione tituli & simpliciter obligatoria, seu sub amissione & privatione tituli: causativa, quæ non est simpliciter obligatoria, sed respectu fructuum tantum, ita ut licet ob non residentiam privetur beneficiatus fructibus, titulo tamen ipso beneficii privari non possit. Gonz. n. 21. ex Imol. Butr. Abb. in c. fin. de cleric. non resid. Unde etiam vides, quid dicendum ad hoc, quòd quaerit Azor. p. 2. l. 6. c. 13. q. 5. an beneficium simplex, cujus omnes redditus annui consistunt in quotidianis distributionibus, censeatur jure incompatible cum quovis alio, assiduam beneficiati residentiam requirente; ad quòd quidem ipse Respondet affirmativè, eò quòd, cum distributiones non debeantur jure nisi iis, qui præsentibus divinis officiis interfunt, beneficium consistens in solis quotidianis distributionibus assiduam beneficiati præsentiam postulet. Veruntamen, cum ex illo necdum inferri videatur, requiri residentiam præcisam, sed causativam solum, ita ut, si velit fructus percipere inde, debeat residere: non apparet, qualiter incompatible sit, seu retineri non possit, quantum est ex hoc, cum alio requirente residentiam præcisam; nisi fortè dicatur, vel ex hoc ipso, quòd omnes fructus constituti sunt in quotidianis distributionibus, saltem argui, requiri & residentiam præcisam, etsi non integri annuata ut si quis, etsi paratus sit careere omnibus fructibus, titulum tamen retinere nequeat.

Questio 110. Num igitur hæc simplicia residentiam exposulantia ita sint incompatibilia, ut obtento secundo vacet ipso jure præhabitu, seu primò?

1. Respondeo primò: vi juris communis hæc beneficia non vacasse ipso jure ante Trid. Azor. loc. cit. q. 2. Castrop. loc. cit. n. 2. nam primò ante Concil. Lateran. sub Alexan. III. vi nimirum c. referente, & c. præterea. de præb. obtinens duas dignitates vel duo curata (adeoque idem à fortiori de simplicibus non jam ratione curæ, sed etiam abque ea residentiam exigentibus, & exinde incompatible dicendum) neutrum ipso jure amittebat, sed debebat unum ex illis, relicta illi optione, quòd malebat, dimittere. Secundò tempore Concil. Lateran. sub Alexand. IV. vi cap. quia nonnulli. de cleric. non resid. non relinquebatur jam amplius ista libertas dimittendi alterutrum, neque tamen etiam ullum amittebat ipso jure; sed obtinens secundum incompatible, hoc ipso secundo veniebat privandus per sententiam. Tertio c. de multa. de præb. & extrav. execrabilis. Joannis XXII. sermo solum est de dignitatibus, personatibus, officiis curam animarum habentibus, & non de simplicibus purè ratione residentia incompatible. Castrop. Azor. l. cit.

2. Respondeo secundò: Post Trid. per obtentionem pacificam secundæ beneficii residentiam præcisam requirentis ipso jure vacat quocunque beneficium præhabitu similem residentiam requirens; eò quòd Trid. sess. 7. c. 4. loquatur generaliter

E

sua